



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

Symbolum II. Minerva bucculenta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

## SYMBOLVM II.

Minerva Bucculenta.

Ovid. 6. Meta. Plut. Athenaus.

Ethicè.

1. Iræ remedium ex speculo. 2. Cognitio sui è speculo.

**O**lim ad mensam clarorum laudes virorum tibiâ cantatas fuisse, meminit Cicero 1. Tuscul. Qui mos in Deorum quoque convivijs observatus, non magis aures discumbentium, quam animos suavi acroamate demulcebat. In ejusmodi quopiam epulo, cum Apollo citharæ fidibus mirificè luderet, Minerva suam quoque canendi artem demonstratura, sumpsit in manus tibiâ, dulcique modulatu, voluptatem coelicolis institit aspergere. Vix ore cœpit animare fistulam, cum in risum solvuntur Dij; buccas quippe Diva, ceteroquin decori observantissima, ita inflaverat, ut deformem in modum tumerent. Pudor & ira incendere deam, ignaram causæ ridendi. Quid enim? an contemptam se putet, ut, quæ cæterarum artium Liberalium est Præses, non etiam polleat canendi, & fistulam digitis sollicitandi peritiâ? Igitur spatium ut daret animo, excedit locò convivij, ad palludem (quæ ab ipsius nomine *Tritonia* dicta) se confert, iterumque tibiâ manu tentat & linguâ. Et ecce, dum inter canendum temerè conjicit oculos in undas, advertit, buccas tanquam è speculo reflexas fœdè intumescere, vultumque ridiculè distorqueri & deformari. Vehementer igitur commota imaginis objectæ turpitudine, cœpit monstruosam detestari formam. Etenim quid indignius tali ac tantâ deâ, quam rusticus genarum tumor, distortum os, corrugata labra, recedentes in angulum oculi, crispata nares, totum caput ventoso potius Æolo, quam Virgini divinæ simile? Ocyus hinc abjicere arundinem, seque ipsam fugere, sui que pudere. Tantùm valuit cognitio sui ex aqueo speculo reddita.

Ethica.

I. (a) Rectè Imago hæc vitrea ad iracundas & distortas hominum, præcipuè feminarum, formas applicatur. Nam sexum hunc, quanquam venustatis studiosissimum, nihil fœdius, nihil crebrius deformat, quam impetus

(a) *ira remedium ex speculo.*

impetus iræ ac tumor. Senecæ dictum est lib. 1. de Ira: Nescias, utrum magis detestabile sit hoc vitium, an deforme. Cætera licet abscondere & in abdito alere; ira se profert, & in faciem exit, quantoque major est, hoc effervescit manifestius. Et cap. 35. Nihil tamen æquè profuit ad cohibendum hunc animi impetum, quàm primùm intueri deformitatem rei, deinde periculum. Non est ullus affectus faciei turbatior; pulcherrima fœdavit ora, & torvos vultus ex tranquillissimis reddidit. Huc quadrat illud Ovidij lib. 3. de arte.

Ora tument ira, nigrescunt sanguine venæ,

Lumina Gorgoneo sæviùs angue micant.

Pergit Seneca: Qualem tu intrà putas esse animum, cujus extrà imago tam fœda est? quantò illi intra pectus terribilior vultus, acrior spiritus est, incensior impetus, erupturus, se nisi ruperit. Et cap. 36. Quibusdam iratis profuit aspexisse speculum; perturbavit illos tanta mutatio sui: velut in rem præsentem adducti, non agnoverunt se. Et quantulum ex vera deformitate imago illa speculo repercussa reddebat? animus si ostendi, & si in illa materia perlucere posset, intuentes nos confunderet, ater, maculosusque, æstuans, distortus, & tumidus. Nunc tanta deformitas ejus est per ossa carnesque, & tot impedimenta effluentis: quid si nudus ostenderetur? Consonat Plutarchus in Moral. Mihi verò, inquit, si quis scitus & elegans sit comes, vel assecla, non ægrè feram, si quis in ira proferret mihi speculum, sicut quibusdam jam lotis, comitisque solet sine ullu fructu. At seipsum ita videre, præter naturam constitutum, & undique turbatum, non parùm conferat ad affectus hujus damnationem. Et Martialis lib. 1. Speculum vocat *consilium forma, faciei Indicem*, qui nemini adulatur. Hinc illud Lemma, speculo subscriptum: *Cunctis æquè fidum. vel, omnibus omnia.* Unde simiæ abhorrent specula, deformitatem suam averfata: nam *veritas odium parit.* Quantò rectiùs apud memoratum Poëtam lib. 2. egisset Lalage, femina perinde furiosa ac superba, si non tam formam, quàm iram suam contemplata fuisset in orbe vitreo.

Unus de toto peccaverat orbe comarum

Annulus, incertâ non benè fixus acu.

Hoc facinus Lalage speculo, quò viderat, ulta est:

Et cecidit sectis jcta *Psecusa* comis.

Nempe fregit in capite ancillæ speculum, & miseram evulsis capill. lis humi afflixit. Sic apud Juvenalem Sat. 6. tractata est *Psecas* puella, quam impotens hera taureo nervo castigavit. Quæ causa?

Com-

Componit crinem laceratis ipsa capillis  
 Nuda humeros Pſecas infelix, nudisque mamillis:  
 Altior hic quare cincinnus? taurea punit  
 Continuo flexi crimen, facinusque capilli.

Et de alia quadam huiusmodi Furia memoratur, eam, cum ferire vellet ancillulam, idque non posset commodè, quòd manus haberet impeditas; (tenebat alterà speculum, alterà gemmeum torquem, & armillas aureas.) Quid fecit? puellam, crinium ornatricem coram venire iubet; paret illa: tam verò rabiosa mulier in ejus faciem coram venire jubet; canino irruens, nasum impetit, miseramque denasasset dubio procul, nisi avertens opportunè vultum ancilla, pro naso obtulisset aurem, quam Megara penè totam mordicus abstulit. Quòd si tales Furie insaniam suam viderent in speculo, superi!

O qualis facies, & quali digna tabella! Juven.

II. (b) Sed non iracundia tantùm ad cristallinum est deferenda & corrigenda Judicem; pluribus animi morbis hic aspectus est salutaris. Nam ut seneca scribit lib. 1. Quæst. Nat. Inventa sunt specula, ut homo ipse se agnosceret. Multa ex hoc consecuta. Primò sui notitia, deinde & ad quadam consilium. Formosus, ut evitaret infamiam: deformis, ut sciret redimendum esse virtutibus, quidquid corpori deesset: Juvenis, ut flore ætatis admoneretur, illud esse tempus discendi, & fortia audiendi: senex, ut indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret. Ad hoc rerum natura facultatem nobis dedit, nosmetipſos videndi. Fons cuius perlucidus, aut lave saxum imaginem reddit.

Nuper me in littore vidi.

Cum placidum ventis staret mare

Ait apud Maronem Corydon Eclog. 2. Socratem Philosophum scribit Apuleius Apolog. 1. speculo ad morum disciplinam esse usum. Quippe suasisse discipulis fertur, ut qui eorum foret pulchritudine sibi complacitus, impendio procurare, ne dignitatem corporis malis moribus dedecoraret. Qui verò minùs se commendabilem formam putaret, sedulo operam daret, ut virtutis laude turpitudinem tegetet. Libertus Augusti Cæsaris Phædrus, vir eruditus, apologum narrat hunc in modum. Civis Romanus filium habuit & filiulam formæ dissimillimæ, fortunam insolenter errante. Filius Hyacinthus, contra quam fieri amat, præstantissimæ formæ: Tulliola filia insigniter deformis erat. Utriusque vaga ætas speculum matris reperit & inspexit. Puer speculum adeò sibi favere

(b) Cognitio sui è speculo.

favere animadvertens: Heus soror, inquit, quàm ego formosus sum ad te collatus, & quàm tu nihil habes formæ; ô deformem Canidiam! Puella impatiens tam acerbi vituperij rem patri detulit, & fratrem graviter accusavit, quòd speculum, rem feminarum, inspexerit. Pater utrumque peramanter amplexus, ô mea pignora, inquit, cupio, ut speculum quotidie inspiciatis: Tu quidem, Hyacinthule, ne scitam & decoram speciem pravis moribus, vitijsque corrumpas: Tu verò, Tulliola, ut sequiorem formam virtutibus & morum concinnitate commendes. Sic ambo rectissimè habebitis. Imitentur igitur Minervam, quicumque & quæcunque dignitatem corporis malis moribus deformant: & abijciant, quidquid pulchritudinem non tam oris, quàm animi corrumpit. Factura hoc fuisset Helena, illud olim venustatis miraculum & oculorum tormentum, si quemadmodum, in orbe vitreo sibi placuit juveneula, animum adjecisset ad larvam, canis crinibus induendam. De hac Ovid. lib. 15. metam.

Flet quoque, ut in speculo rugas conspexit aniles  
Tyndaris, & secum, cur bis sit rapta, requirit.

## SYMBOLUM III.

### Marfyas excoriatus.

6. Metam. & 6. Pastor.

#### Ethicè.

1. Obtrectator temerarius. 2. Inflat Musici. 3. Inanis jactantia.

**E** Præcedenti fabula intelleximus, Minervam deprehensa vultus inflatione, ex tibix cantu, abjecisse tibiam, fœdum oris virginei de-honestamentum. Eam fistulam in ripa paludis Tritonidis jacentem, fortè conspicatus *Marfyas*, quidam ex horridis satyris, plus in mento pilorum, quàm in mente Sapientix gestantibus, sustollit homo, inflat ore, premit digitis, elicit sonum, placet modulamen, eò denique arrogantix delabatur, ipsum ut Phœbum, divinum citharœdum, auderet in certamen provocare, sed maximo suo malo: nam ab adversario victus, & abstractâ per artus cute, miserrimè laniatus est; Marfyas, commiseratione deorum in fluvium cognominem suo disfluxit cum sanguine, quem flentes Nymphæ agrestes fuis auxerunt lacrimis. De hac fabula Ovidius 6. pastorum: Prima

B